



Dissertatio inauguralis medica positiones quasdam academicas de somno atque insomniis brevibus complexa

<https://hdl.handle.net/1874/347320>

G

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

52.

Positiones quasdam Academicas

D E

SOMNO atque INSOMNIIS

Brevibus complexa,

Q U A S,

AUSPICE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in inelyta Academia

Trajectina Professoris Ordinarii Verbiq[ue] Divini ibidem in

Ecclesia Praeconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senat[us] Academici Consensu, Nobilissimaeque
Facultatis MEDICAE Decreto*

P R O

Impetrando ritè DOCTORATUS Jure ritu locòque
solitis die 27. Februarii

Eruditis ac Bonis omnibus censum dat expensumque publicè

JOANNES GEORGIUS GÜNZELIUS,

SAXO-EIMBECCENSIS.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, cl[od]o Ioc xc.

V I R O

*Maximè Reverendo , Optimo , Pio , Docto ,
Prudenti ac Humanissimo*

D. ISAACO PONTANO,

SS. Theol. Professori longè Emerito Ver-
bique DEI apud Amstelædamos Præconi
Sedulo , Serio Fidoque ac omnis aded
sanctimonix omniumque æquè vivido
perquàm & ad bonam vitam Exemplo &c.

*Suo imprimis Fautori ac Patrono benevolo
optatoque maxumè*

hocce , quicquid est , chartacei munusculi
non ad promerendam , sed memorandam
demum sed prædicandam aliis , quâ pere-
grinanti sibi & extero bellum reverà Bel-
gium bella verè fuit Patria , locatam in se
Gratiam , unà cum cujuscunque felicitatis
ac tardioris quoque fati ardentiori voto
sacrum esse jubet dicatumque , deque cæ-
tero more se Romano commendatum
porrò discupit

A U C T O R,



C. D. E. J. M.



Quidem licet in paucis vel paucis etiam præfari longum nimis, inò & supervacuum esse ipse adprimè sciam; quin tamen pauca hæc demum etiam præmissum irem, minùs possum nihilò. Nempe hoc erudiendus mihi saltem Be L. eras; quòd, quum benedicente DEO ad Cathedram meam jam delatæ res essent, pro laudatissimæ consuetudinis usu ad Inauguralem Disputationem memet compositurus, hanc, quam minari Titulum vides, materiem selegerim quidem atque tractaverim; sed, uti simul vides, non pertractaverim, idque cum ob qualitatis tum ob quantitatis præcipuè rationem quoque. Nam, quod de quantitate dictum esto, prelo jamjam proximam maturamque in tantam eam deprehendi excrevisse molem, ut oppidò vererer, ne solitæ formam disputationis esset excessura penitus molestiaque legendo susciperent nauseam, quibus pro more opponendi quidquam foret dicendique animus. Quod autem etiam ad qualitatem attinget, quanquam Laconicò incedere per opus incessu vel maxime sim annisus, rei tamen præstans usque obstitit ac augusta reverà dignitas angustis nimium limitibus coërceri omnino nescia. Tum verò, ne, uti fieri persæpe adsolet, dum brevis esse laboro, aut obscurus fiam planè, aut, quod multò mihi metuendum magis, omni demonstratione egere insuper, eò, quòd demonstrandi hóc pactò locus non est, atque ita iniquè udicare iniquè judicer; è re mea futurum fore autumavi, si

nihil, quàm pauca eaque imperfecta, dicerem, ut quod in his ac similibus, ubi absque præsidio salvoque, quod ajunt, conductu in publicum prodire veritati tutum non est, longè esse fatius multòque duxi præstare potius ac consultum magis. Fatebor enim, me hîc illic ac in somniorum quidem maximè historia admisuisse quædam, quæ paradoxa videri admodum primâ cuidam fronte possint eoque præpostero verè ac cantato ante victoriam perquam esse obnoxia triumpho. Nam, utrum placitura singula singulis sint, nec ne, expectare meum est, non dicere neque promittere, adde, nec possibile nec necesse etiam quoque; siquidem mihi saltem demum sufficit, typis expetita esse non de vulgo Viris, queis videndi nonnullorum facta à me erat in scedulis legendique copia. Quapropter, uti nunc quidem eadem communicasse integrum non est, adeòque, quàm instituti tantùm umbram mei exhibuisse ac unius solum quasi prodromum partis, planè nihil queo ampliùs; Sic proximè tamen cumque DEO, quæ-modò eorum-cunque sunt, expectare à me Bm. Lm. Te nihilò jubeo seciùs & die. Quem admodum autem somniorum (quorum gratiâ suscepta unicè res est) tanta cum somno attenditur connexio, ut hic quidem sine illis, non verò illa vicissim sine hoc fieri aperta tractari- que possint; ideò hujus quoque tractationem præmittere at- que hâc vice Inauguralis Disputationis supplere vicem volui ac obire.



Ujus ergo I. §. esto, quâ ob allatam jam rationem primò meritò locò ponendum esse somnum duco, utpote, cu- jus prærequirunt ante omnia ac præsupponunt cognitio- nem somnia. Utut enim vel vigilans somniare quisquam possit quicquam; non nisi tamen propriè ac solitò naturæ ordine & convenienti magis ratione aut ex communi sal- tem denique suppositione per Noctis illum Erebique filium fieri eadem accidereque certum est.

§. II. Quum autem ne hoc quidem absque aliis cujusdam præsuppositi ope fieri ritè apertumque potest; Ita, sin integram minùs, aliqualem ta- men saltem hominis Physiologiam adorno.

§. III.

§. III. Quam pro duarum illarum partium hominem in esse hominis constituentium ratione bipartitam facio, atque ad alteram earum somnum, ad alteram verò somnium ex cujusque unius indole ac habitò ad suum cuiuslibet principium respectu suò quæque locò exigo & expendo, adeòque de corpore, ut, ad quod referri somnus, velut ad animam somnium quòdam potest modò, quicquam jam prælibo, posthabitò planè omni ejus cum Mente commerciò hujusque in id imperiò.

§. IV. Quod dum ago, idem illud corpus, postquàm ejus ad eam constituendi hominis necessitatem, quâ DEUS primitus esse illum voluit, ac præ omni alio vivente prærogativas unà cum omnibus & ad animæ obediendum & ad munia obeunda requisitis monstravi, cum machina quadam (totum nempe somni negotium mechanicum est) hydraulo-ut dicunt-pneumatica aut alio quovis automato ac exactissimo horologio non pœnitendâ prorsus analogiâ comparo & compono.

§. V. Ex qua ipsa comparatione primùm & ante omnia noto, quòd licet de substantia inter omnes æquè conveniat nec unius magis quàm alterius dicendum corpus, accidentium tamen ratione tanta omnium sit ac tam diffusa diversitas, ut non somni solùm & somniorum diversa inde pateat indoles; sed & variæ quoque ac diversæ diversorum imaginationes, diversi adpetitus conceptusque ac studia inducantur effectaque mille diversa modis; quibus opus eò erat magis, quòd homo non sui tantùm & in bruta imperii, sed & proximi etiam conditus est ac societatis causâ.

§. VI. Unde ex hoc quoque solo solùm esse duco, quod non omnia possimus omnes; Ex hoc eodem varia illa DEI dona variasque ad hoc vel illud munus ac vitæ genus vel vocationes vel saltem inclinationes, quin ipsa quædam insuper mira insolitaque tam sacrorum quàm profanorum facta penitus deduco & unicè.

§. VII. Adeò, ut audacter adseram, Mentem nihil eorum, quæ ei præter solitum ordinem accidunt, ac ad eam inique sæpe referuntur sapiùs, subire patique mutationis; Verùm omnem, quæ-modò etiam-cunque fuerit, extraordinarieratem, & quicquid demum in homine præter cogitandum sit, à sola solùm corporis dependere modificatione, prout idem hoc per omnia, cùm de insomniis dicendum erit, clarere manifestiùs patereque facio.

§. VIII. Dehinc hanc eandem quoque nostram machinam ac verum reverà Microcosmum ad analogiam Macrocosmi simul & attributorum corporis in genere considerati per rationem motûs ac quietis, tanquàm primæ post extensionem potiorisque ejusdem adfectionis, reduco.

§. IX. Quum enim per motum & quietem vigiliarum præcipuè determinatur & somni status; Sic cum illis non convenit solum, sed & comparari amat penitus hic idem corporis in homine status, quæ, ut vel quiescant vel moveantur, tota in eo tota ac sola sunt.

§. X. Huic verò conditioni ex ipsamet sua natura paret in genere corpus, ut, cujus movere, moveri vel quiescere solum ac suum est.

§. XI. Et quia eadem forte gaudet & coërcetur lege altera illa hominis pars; idè nec perpetuè moveri potens, ut nec arcum semper tendit Apollo ac suæ Musis pausæ sunt, suas quoque eadem illa habeat vices necessum omnino est.

§. XII. Atque id quidem magis eò, quò per motus suos corpus deperdit magis; ut quod per inductionem vel etiam oppositionem aut Macrocosmi dictam denique cum Microcosmo relationem eò claret clariùs; quippe, in quo eadem cernitur vicissitudinis alternæque, qua sine durabile nil est, quietis necessitudo; ita namque truditur dies die novæque pergunt interire Lunæ. Ipsa enim cæli loquuntur sidera, quas gratâ vice veris & Favoni dieique ac noctis & virentis modò ridentisque, mox verò ridentis iterum ac torpentis & quasi dormientis anni senescens ita & juvenescens sustinet almò almi Omnipotentis arbitriò subitque constantes tantùm in inconstantia sua actaque in orbem vices orbis. Unde &, quò perduraret meliùs, qui semper ab integro seclorum nascitur ordo, illa quoque, quæ ejusdem diuturnitatis diuturnæque cum aliis durationis non sunt, sua sui sortita semina sunt in deperditionis solamen suæ; quibus in specie consequuntur, quam in individuo habere perpetuitatem nequeunt; Ut hòc sensu Ecclesiastæ illud heic adprimè quadret valeatque, quò advenire generationem ac præterire, terram autem in æternum stare assertum eidem est; Siquidem, ut nihil de aliis dicam jam viventibus, tantò trepidat ætas hominum magis ad sua claudendum lustra, magisque tantò eorum disperduntur vires, quantò suâ actione motuque Macrocosmum Microcosmus non æquiparat, sed superat magis.

§. XIII. Quare ad hujus etiam restaurationem discriminis singulares quasdam in hominis œconomia observamus adfectiones, quas si per analogiam morbos vocare volupe cuidam fuerit, non reluctabor.

§. XIV. Quarum altera nutritionem respicit, motum altera. Pro illa adjuvanda, ac, quod deperditum est, supplendo, famis sentimus sitisque adpetitum; Pro motu verò innovando, somnum; non secus ac vel ipsum, quocum eam illam nostram machinam comparavi, horologium, postquam sua emensum spatia est & stadia, pedem æquè figit atque ad metam quasi cessum concidit nec unquam, nisi denuo evolutum, iter iterum reiterat.

§. XV.

§. XV. Aded, ut, quemadmodum fames esculentorum adpetitus est; Sic somnus quoque blandæ quietis ac per quietem recuperandarum virium blandum sit & quandoque forte etiam desiderium.

§. XVI. Quò tamen ipsò genuinam somni rationem indigitatum nolo, cum vera ejusdem ætiologia nullatenus eòdem absolvi possit.

§. XVII. Circa quam, si unquam aliàs, in tam diversas Autores abituriant partes, ut, si aliter liceret, per hæcce tamen opinionum divortia, quid somnus propriè sit, scire nihilò liceat minus.

§. XVIII. Id quod ex eo esse maximè non suspicor sed sustineo; Quòd angustis nimium definitionibus totam omnium essentiam naturamque ac vel unicà vel paucis saltem causis coèrcere definireque satagunt; Ex quo necessum est ipsos sese stringere ac in angustum oppidò suas coactum ire copias. Somnus enim, ut alia jam taceam, siquidem non una de causa nec unam etiam ob causam sit, unicà quoque ac strictà definitione stringi penitus nescit.

§. XIX. Tertiò, hanc ipsam etiam machinam tam quòd adformam suam quàm ad materiam, tum verò vitam motumque considero, ac unum eorum-quodque ad scopum adplico, simulque ostendo, in quo isthæc factæ superiùs comparationis sita ratio sit.

§. XX. Scilicet, quæ in aliis cursitant mistæ funibus rotæ summaque feruntur commixta imis, eorum in humano horologio & fluidas præstare vicem & solidas corporis partes ajo.

§. XXI. Quinimò hanc eandem corporis fabricam vel compagem infinitorum ferme ductuum vasculorumque, per quæ singula ac ad unum omnia, Spiritus nempe simul & humores, continuò ac debitè circulare debent, meram esse congeriem, non suppono, sed scio.

§. XXII. Quò ipsò unà insinuo, quale omnium æquè & requisitum sit & officium. Ut enim sollertior multò gyrat rotaturque uniendo rota, quin, quò velociùs suum feliciùsque conficiunt opus vel ventò vel flumine secundò molæ; Sic ipsi quoque corporis nostri non spiritus solùm humoresque; sed tubuli etiam ac omnis adeò generis vascula, dum, ut dictum est, ferri unum per alterum moverique debet, ne illi quidem visciidi nimis tenacesque & stagnantes, nec tamen etiam præcipites nimis; hæc verò nec angustiora justò nec patula nimium sint, adprimè primum esse reor & palmarium penitus; ut quò etiam pactò non vitam tantum, quippe, quæ ipsa motus est, machinæ nostræ dant; verum, quæ ab ea dependent, actiones quoque secundum naturam omnes; uti è contrà nimium vel parum motæ aut profus etiam cessantes eadem partes, & excessum dictarum actionum

num inferunt & defectum; atque adeò ipsam quandoquē mortem non significant, sed portendunt; æquē ac ipsamet automata in globulis turbata suis aut suspensa pendent penitus, aut in præcepta data denique, machinæ minantur ingenti incendium nisi, prout suò quæque locò & fusiùs constabunt & meliùs.

§. XXIII. Quibus ita præmissis adque præsens negotium relatis, ad somni tandem explicandam rationem ingredior; atque id eā quidem præcipuè ratione, quā ejusdem per sensum & vigilias eò magis innotescet indoles, quò opposita juxta se posita elucescunt magis.

§. XXIV. Nam tum demum nos vigilare adfero, quum verum præsentemque sensuum imprimis externorum motum ac usum percipimus, & quum non æquē percipimus, dormire.

§. XXV. Sensum verò fieri, si, quæ ad eum pertinent, ita comparata sunt organa, ut hòc vel illò modò impulsà motaque hunc quoque vel illum non possint non sensorio impertiri motum.

§. XXVI. Quam ipsam organorum comparisonem vel constitutionem non tam concipio, quàm liquidò etiam insuper statuo esse funiculorum vel chordarum instar; quibus, quò tensis altiùs necessum est & altiorem quoque & acutiorem eò edi sonum & motà unà ac impulsà sui extremitate & alteram moveri adque eam motum derivari & pulsum, ut vel surdi eòdem sint potes audire modò.

§. XXVII. Hanc eandem autem dictam organorum sensus tensionem tantò esse opus adstruo magis, quantò & cerebrum nervique omnes ad sensationem seu motum per illam sunt aptiores, cùm vel vesica inflata majorem magis allisa edit sonitum inflataque crepant ac tumefacta premuntur faciliùs.

§. XXVIII. Hoc verò, quicquid tensionis est, ipsi etiam cerebro accidere & nervis accidereque debere & posse, adeoque, quæ vel adpendent vel dependent, turgere sensim & inflari, monstrat ex ipsismet Oeconomix ac Mechanicæ legibus à spirituum facta in cerebro per mille ejus ambages & tortuosos mirè mæandros secretionem, rarefactionem, accensione, modificationem, reflexionem ac radiationem inque nervos denique determinationem (quæ absque dicta earum partium tensione & turgescencia nec fieri possunt nec concipi) ipsamet petita ratio.

§. XXIX. Sed ne & frustra hoc adseruisse videar ac dixisse gratis, in rei probationem intentus ad observationes provoco & exempla oppidò ac benè multa. Quorum tamen uti nunc narrandi magis est, quàm scribendi copia; sic, quò minùs quædam saltem adjiciam demum, minùs possum nihilò.

§. XXX.

§. XXX. Præterquàm enim, quod demortuorum inflari cerebrum pulcrò
 satis spectaculò nec contemnendâ planè cum vigiliarum statu analogiâ potest,
 tubicines quoque ceu Juppiter ambas iratus non inflant solùm buccas; sed &
 tantus eorum etiam oculis ex alto suffunditur rubori junctus tumor, ut ex
 orbita inflati minentur exorbitare sua, nec visûs tantùm incurrant, ob ni-
 miam nervorum insufflationem tensionemque, sed auditûs sæpe discrimen
 sæpiùs. Sic in genere etiam ex oculis, quanta adsit spirituum copia vel
 inopia, legere admodum est, indeque asserta nervorum cum cerebro colli-
 gere expansio ac dicta modò insufflatio; Siquidam & visionis quoque con-
 ficitur plenèque absolvitur plenum spiritibus opus & aliter longè constituti
 per virgalias sunt, atque sub somnum oculi, altùm licet (quo de §. 34.)
 ob palpebrarum quoddam vitium adaperiti latùmque patuli. Nam uti heic
 nil nisi spissæ dominantur sterilesque tenebræ ac fracti quasi exstinctique &
 flaccidi, sic turgidi illic ac lucidi è contrâ sunt micantesque & radiantes pror-
 sus iidem oculi vel ipsi etiam Christo corporis ided vocati lumen; prout
 ex hoc eodem lucidi quoque passim dicuntur spiritus. Neque enim etiam
 id injuriâ; quandoquidem idem eorum generationis arguit processus aliaque
 omnis affirmat indoles; aded ut nec intempestivè nobis nec facetè dicatur
 minùs: *Der Herr hat Feuer in den Augen* / si cui fervidus circum præcor-
 dia salit sanguis suffususque tument spiritibus oculi. Flammam enim reverà
 spirant ferè noctuque minitantur ignem Generosi ad indolis usque discretio-
 nem suæ, quippe, quibus destituuntur penitus, qui corneam habent fi-
 bram plumbumque in pectore gestant. Idem illud, sed præter tamen natu-
 ram, loquuntur, qui furiis agitantur intus ac vel Phrenetici sunt vel Epile-
 ptici longâque de cætero divexantur vigiliâ, utpote, ubi omni spiritus soluti
 vinculò, quâ data porta, ruunt & caput turbine perflant; unde & tensi
 simul sunt inflatique ac scintillantes pene splendentisque eorum oculi. Præ-
 terea facies quoque de manè tumet post somnum nostra, certò perquàm
 indicio, factam inter dormiendum esse novam spirituum cum secretionem,
 tum, (queis sine vigilia nulla est nullaque vel spontanea solùm saltem exper-
 gefactio) in nervos etiam & sensoria determinationem indeque sequentem
 omnium æquè turgescerentiam; ut ex eo, qua de jam dixi, evigilationis me-
 ritò debeat possitque peti ratio, eò quòd collectis denuo per somnum viri-
 bus, inflatisque ac, quæ exsucca antea & fluxa & flaccida jacebant marce-
 bantque, tensis iterum & quomodo etiam-cunque vel levissimè solùm im-
 pulsus sensuum organis ad virgalias quasi in vitam via difficilis non est. Im-
 pressus enim alteri extremo motus faciliùs longè ac expeditiùs per tensos de-
 nuo nervos, velut expansas altiùs chordas, ad commune defertur senso-
 rium;

rium; qua in re sensationem consistere, in sensuum autem usu motuque, vigilias, jam adserui antea. Ex hoc eodem evigilans ipse gallus suum edit *ἀφ' ἑσπέρης ἀφ' ἡμέρας* ac nosmet etiam ipsi ad nostra redimus multò agiliores sollertioresque pensa, aded ut Musis amicū ided sit ac auroræ dicatum tempus; quemadmodum è contrà torpent admodum, in quibus æquè satis peractum non est idem illud secretionis novæque restorationis seu, ut verbò dicam, iteratæ nervorum tensionis negotium, oppidòque ægrè à tepefacto divelluntur nido, nec tota caput solūm scalpendo abit hora, sed totus quoque præposterè disperditur agendo dies, imò ad levissimum etiam quodcunque demittunt auriculas opus, planè ut iniquæ mentis asellus. Quare & inertia diffluentem ejusmodi suarumque rerum satagentem minùs significaturi à somno sumimus vel somnio materiam, & , quem Comicus somnium appellat hominis, nostrò idiomate dicimus: *et hat noch nicht aus geschlaaffen.* Ob defectum enim spirituum ac sufflaminatam cerebri nervorumque insufflationem languent flaccidentque ac marcent organa, quin ipsa etiam corporis nutat pendetque Regia, purpureus veluti cūm flos succisus aratrò languescit moriens lassòve papavera collò demisere caput, pluvià cūm fortè gravantur; quum plenis tamen vigiliis, h. e. viribus spirituque receptis, plenè non tantūm ac planè ferveat succedatque opus, sed & , unde fervet, tumneant verè inflatque venas sint hesternò tanquàm Jacchò artus in liquidam assertionis meæ tesseram. Neque enim etiam mirum; siquidem, ubi spiritus, ibi motus, ubi motus, ibi calor, ubi calor, ibi & rarefactio est; quæ uti exemplò thermometri seu calendarii cujusdam aërei ac uniùs solutæ in vaporem guttæ majus requirit spatium; Sic vasa quoque ac inprimis quidem cerebrum, velut promus-spirituū-condus, cæteraque sensoria turgesceri oportet extendique protenus; id nempe primò præter suprà jam allata singularemque cerebri & aptam rei natam structuram, (quâ vel illa etiam, quæ majus habent pro ratione proportionis suæ cerebrum ac rectò quandoque eunt incesso bruta, ut in his ferè humani mentiuntur aliquid, vivacem magis cæteris habent cerebri quasi rationis usum) tum verò spirituum in eodem generationem ipsamque & sternutationis & epilepsiæ rationem, sola ejusdem cerebri tuerur in infantibus & aliàs conspicua per fontanellam ac cranii vulnera pulsatio, eaque tantò quoque major, quò vires adhuc constant magis spirituumque integer viget vigor; nam in somno ac apoplexiâ uti & lethargo alioque simili adfectu vix eadem ac ne vix observatur quidem. Dehinc eodem hōcce modò musculorum absolvitur motus, æquè ac chordarum mutatur per aërem sonus; neque tamen id solūm, sed & sensationis etiam intenditur gradus, ut quod vel ex priapi affatim claret tentigine, quippe

quippe qui supra quoque robur suum rigoremque pali exquisitissimum in-
super inde acquirit ad feminis profectionem sensum. Tum hanc eandem di-
ctam aliquoties tensionem ipsa etiam ac à contrario quidem probat vel apo-
plexia vel, siquando efferbuit, epilepsia quoque ac paralyfis, vel, cum se-
curos tantum quispiam nimium libavit latices vinòque adeò & somnò fe-
pultus jacet; Quandoquidem, si aut clamites auremque vellices, imò, si
vel uras licet, feces, torqueas pungasque, nihil tamen ejus ibi sentitur mi-
nùs, atque id ob solam quidem, quam recensiti inducunt adfectus, om-
nium æquè flacciditatem, quâ impressus alteri extremo motus nec ad cere-
brum pertingere potest, nec à cerebro rursus per eosdem nervos vel ob-
structos ac quocunque demum modò læsos ad debitam organi insufflatio-
nem (tanquam unicum ac solum sensationis medium) recurrere valent nec
ferri spiritus; Ob radiosam namque, quâ constant, texturam, rationem
habent continui iidem spiritus; quæ, si abrupta fuerit, ac, velut in stran-
gulatis suspensisque & syncopizantibus sit, intercepta etiam, æquè oppidò
subdita habebit sensum pars motumque, ac chorda intercepta requisitum edet
& jussum tonum Terraque ob Lunæ interpositionem Solis gaudebit lumi-
ne; ita ut & somnus cæterique ejus farinæ adfectus omnes non incomtè for-
tè nec incommodè mihi spirituum nuncupentur Eclipsis. Tandem verò
etiam, quorsum quæso viscosa propinamus, qui assiduis torquentur vigi-
liis, quàm ut ferocientes illos titubantesque spiritus in effractus denuo inji-
ciamus carceres & novis rursus eorum quasi manus ligemus manicis pedicif-
que pedes, atque ita motos velut componamus fluctus, seu (ut in nostra
illa pergamus allegoria,) chordæ nimium remittantur tensæ, siquidem &
arcus quoque nimium rumpitur tensus? Quinimò cui bono in soporosis
contrà adfectibus tam sedulò & seriò commendamus spirituosa; nisi ut gra-
vativum illum cerebri ac collabentem tollamus sensum, spiritusque vel defi-
cientibus restauremus, vel in suo præpedito motu inque mucis ac pituitæ car-
ceribus pedicatos ligatosque exsolvamur & adjuvemur ac aliis quibusque,
quæ eos ceu cervam retia servant, extricemus, ut tensis ita nervorum chor-
dis actionum reiteretur iterum cantus citharæque tacens suscitetur Musa, ac,
quæ veræ vigiliæ sunt, nova de novo sensuum inchoetur motusque har-
monia? Atque etiam certè, ut nequid de eodem hoc dubitemus, solos
solùm inspiciamus ebrios; quos enim non addit illis animos lætitiæ Bac-
chus dator? quanta vel ipse non sumit cornua pauper priscique Catonis
calet merò virtus? imò, quàm non omnis inde capit incrementum con-
cupiscentia, per se solam etiam (quod suprà addidissim, par fuisset) ean-
dem hancce rem ac sine quidem Cerere & Baccho jamtum probatura satis,

Andyvia idè Græcis, quasi animus animo superadditus, perquam dicta scitè? siquidem per suas illa species, quales & gaudium & desiderium & ira furorque ac ex his oriunda energumena seu diabolica vulgò putata malè quorundam facta sunt, ebrios non tam æquat quàm superat spiritibus accitis undique ac membris vasisque, à motu, puta, spirituum vegetiori, tensis expansisque amplius; unde nec adpositè minùs ὀργαζμός eadem illa quibusdam audit vel turgescencia; tantus enim ibi spirituum motus est ac tanta ad artus determinatio membrorumque ex nervis & cerebro necessariò inflatis expansisque inflatio, ut ad quidlibet agendum sensiles non tantùm iidem vigilesque sint, sed & fortes insuper ac mirè etiam agiles, velut quotidie idem ac in horas observare, qui vult, potest, ut ea propter ulterius his immorari opus non sit; quæ enim in eandem hancce adferri rem possent, uti, quemadmodum dictum suprà est, plurima sunt, perquam tamen heic prætereo lubens, ne, dum vigiliæ omnem occupant paginam, titulo de somno præfixo fiat injuria.

§. XXXI. Ut autem per spirituum jam humorumque præsentiam adèdque & cerebri quoque & nervorum tensionem, insufflationem ac expansionem, horumque omnium motum sensus fit, ex sensuum verò motu vigilia; Ita ex communi etiam axiomate, quò contrariorum eadem ratio est, in spirituum defectu, at id locali magis, quàm vel qualitativo vel quantitativo, antecedenter imò & consequenter pro re nata etiam quidem, tum verò ac proximè in cerebri nervorumque aut per factam à quacunque causa repletionem obstructione, aut per ejusdem cerebri à dicto spirituum defectu factaque aliorum determinatione & à sensuum muniis avocatione exinanitionem mole & subsidentia indeque oborta sensoriorum compressione ac inducta iis flacciditate (ob quam non magis sensum habebunt motumque, atque chorda remissa altum edet & acutum tonum) rationem formalem consistere & genuinam immediatamque somni causam, omnino colligo augurorque penitus.

§. XXXII. Spiritibus enim (quod de posteriori dictum ratione volo; siquidem, quæ prima est, ex subsequenti causarum catalogo cuique-jam tum constabit-uni) vel planè deficientibus vel saltem aliò ac in pectus præcipuè ablegatis, ut quod & oscitationes & nervorum tensiones membrorumque Erasmi ad exemplum cuculi post expergefactionem expansiones, tum & incubus quoque, tristitia metusque ac pavor (qui adfectus in cerebro minùsquàm in pectore sua & metiuntur & figunt castra) fieri produnt satis, omnia illa, quæ turgebant antè, marceant magis atque flaccescant, &que propter fulcris quasi sublati ventriculorum cerebri latera concidant & fornix,

fornix, necessum admodum est tantamque ejusdem primùm sequi molem, ut nec ipse etiam colli Atlas capitis in se ruentis possit tolerare pondus, sed in humeros cervix collapsa recumbens pulsitet assiduò nutanti pectora mentò. Unde & vigilans quoque dormiente ob spiritus velut ventum levior longè est, eòdem planè pactò, quò, qui integris gaudet viribus, ei, qui Syn-copen patitur, multò de gravitate cedit ac vel vivus etiam fœtus, ad sui in utero discretivum, mortuò.

§. XXXIII. Quæ verò deinde comprimantur sensuum organa, disquirò, anatomicâque simul ac mechanicâ monstrante viam manu illa potissimùm esse deprehendo, quibus æqualiter incumbit eadem cerebri ista moles. Nam, qui horizontem sequuntur in capitis sphæra nervi, quales cum acusticis optici sunt, eò quoque premi par est afficique gravius & obturatas esse magis, quàm Ulyssæa aures arte, quò, ac imprimis optici quidem & crassiores majoresque sunt & proximam extremi sui habent cum cerebro communio-nem atque ita non propiorem saltem sed & majorem etiam requirunt spiri-rituum influxum. Quò per allegatam somni rationem denegatò, non som-nolentiam sequi solùm, ac, quam Populares mei das Sandmännlein ad-pellitant, oculorum gravedinem; verùm ad ipsam quoque amaurosin non inviam esse quandoque viam, per acutas sæpe febres aliasque Autorum obser-vationes testatum facio satis.

§. XXXIV. Hinc palpebrarum etiam perlustro musculos, ut quos æquè ac alia omnia suos offendo pati manes, dum, prout nec rectè nec planè influunt in eos spiritus, & hi penitus connivent ac concidunt, ut mirum non sit, si clausi sint per somnum oculi firmataque satis cornea illa Poëta-rum somni porta obditò indomitò indomitæ dormiendi necessitatis pessulò. Imò, si vel maximè (quales in leporibus, ac, quod dignum notatu est, non in ægris solùm & moribundis, sed iis quoque observantur hominibus, qui per naturam timidiusculi sunt & segniores justò) altùm pateant latùm-que palpebrarum vitiò oculi; Ob denegatos tamen per dictam sæpe pressio-nem spiritus, nihil in illis adparet lucis, quin demortuorum instar extincti quasi fractique jacent potiùs ac omni objecto referendo impares, ut specu-lum secus, velint nolint, quicquam exhibituri.

§. XXXV. Atque ita per omnia demonstro, macchinæ nostræ idem per somnum accidere, quod in horologii ac molarum rotis harumque motibus suspensis fieri videmus omnes. Illà enim cerebri nervorumque obstructio-ne, pressione & subsidentia spiritus necessum est humoresque in motu re-tardari suo, ut obductâ velut catarrhactâ influere in sensuum organa tam pro exhibendis quàm recipiendis objectis (in quibus aliàs sentire situm est

ac vigilare, uti per oppositum dormire) nullatenus sint nec vel ipsa etiam Mens neque pes suum idèd facere officium potes. Taceo jam, eòdem hòcce ad somnium aperiri fenestram pactò stratumque esse ac latam ad quasvis anomalias planamque viam. Siquidem vel ob ligatos ita disiectosque & consumptos magnam partem spiritus, vel inductam etiam organorum æquè ac loci ineptitudinem, vel, siquæ spirituum superent reliquæ, ob inconditum tamen denique ac efferum sæpe liberumque nimis & indifferentem eorum in quibusdam cerebri tubulis patulisque adhuc per somni conditionem viis motum cursumque Mens compos Mentis non est nec sui amplius nec in corpus juris, adeòque non tam imperans agensque, quàm dicto aliorum audiens quin fortiter quandoque etiam patiens, quemadmodum largiùs idem ac rectiùs edocebunt promissæ de somnio theses.

§. XXXVI Ex quo jam omnes illas quoque ac singulas definitiones, quibus vel motuum animalium quies, vel clausura oculorum, vel sensuum ligamentum, vel spirituum defectus, ac quid non? ob recuperandas vires institutus audit à natura somnus, quasque ut crederem, Autorum me ac Veterum movit antehàc autoritas, prorsus abdicò atque proscribo; Quum aliud dixisse eadem nihil sit, quàm ex tali hæc causa res est, per quam, ut sit, non est.

§. XXXVII. Illas enim ac alias effectus somni esse potiùs quàm causam, ajo; cum cessare priùs sensus non possint ac suspensi esse spirituum per sua organa motus, nisi, quæ hæc inducunt in corpore phænomena, tanquàm immediata præsupponantur & continens causa.

§. XXXVIII. Similiter vel ipse quoque finis longiùs, quàm quidem secundum naturam fieri debebat, videtur esse petitus; quum nec propterea ægrotus fiam, ut postmodum sim sanus. Præterea in omni statim somno nec attenditur nec quæritur idem ille finis.

§. XXXIX. Unde nec qualemcumque etiam spirituum defectum pro somni agnosco causa; tùm, quòd totalis secutura esset, qualis in apoplexia fieri adsolet, cerebri nervorumque oppressio, nec ulla planè fieri unquam possent somnia nec expergefactio quidem etiam quoque; tùm verò, quòd tanta quibusdam suppetat eorum copia, ut dormiant, non ut quiescant, sed ut dormiant tantum, i. e. non tam necessitatis quàm consuetudinis vel voluptatis alteriusque cuiusdam rei lectum expetant gratià somnumque. Quod ut probem, exemplis opus denuo est rerumque testimoniis, qualia perpetuum illud mobile infantum nempe cunæ meritò sunt ac mollia velut prata delicatolorum lectuli regiæque spondæ; utpote, in quibus tam suavis nihilominus non est, quia nec æquè necessarius, quàm, qui ultrò venit,

venit, somnus agrestium lenis virorum. Imò, quid de pervigilio dicemus tam pertinaci sæpe, ut longò satis tempore nihil somni videant patientum oculi? Quin, ut alia præclaraque vigilantia hæc præteream exempla ac gruis quasi excubias, ipsemet magni nominis novi Virum, qui, quò somni tantum scrutaretur indolem, à somno planè & per integrum quidem mentem sine ulla alia corporis noxa abstinuit, nisi, quòd per efferos inordinatosque nimis spiritus in delirium pene incidisset, si minùs pro recuperando iterum somno perverfas illas ac confusas ideas ex cerebro abigendi spiritusque tanquam crabrones irritatos denuò placandi, grave satis dorso subiisset onus. Sic noctambuli quoque ac cum succubis incubi, quinet, quàm plus sæpe, quàm plenis coitibus, deperditur spirituum, nocturna etiam pallutio, nec ipsa quædam minùs sensoria, ut quæ ne per somnum impediuntur quidem, velut quandoque lingua, aures naresque sunt, non omnem à spirituum defectu esse somnum, unò quasi consistuntur ore.

§. XL. Quibus itaque ac suo maximè loco diductis demonstratisque, de quibuslibet quoque ad eam rem pertinentibus causis dispicio, atque, quàm id effectum operis ratione dent, ad easdem & Anatomia & Mechanicæ, tum autem Oeconomica veriorisque Physiologiae leges expendo.

§. XLI. Ex quibus quæ primæ inque Medicorum schola naturales dictæ causæ sunt, primas etiam ac meritò quidem uniuscujusque individui tam elementali quàm vitali temperiei singulis singulari, seu, ut verbò dicam, & sanguinis humorumque & vasorum idiosyncrasia tribuo ac constitutioni.

§. XLII. Quod enim ad diversam illam sanguinis temperiem adinet, diversè quoque & variè eadem vel eò afficiet hominem magis, quò ipsa in eodem animantis est anima, imò, quò unica in hominis machina movenda idem ille vel movens est cursitanque rota. Quare etiam, ut ne extra rhombos, citatòque ac præceps nimis, neque tamen etiam in cochlea feratur morem; tum verò, quoniam immediata spirituum materia est, iidem quoque non generandis solùm sufficiat, sed & vehiculum ad motum decens, quin vinculum suppeditet insuper, non somno tantum & vigiliis sed machinae etiam interesse omnino & vitæ, 22. jamtum inculcavit §. & pluribus alibi fiet manifestiùs; Quippe, ubi plenè sustineo, nullam unquam ex tam naturalium quàm non-naturalium, imò, & ex parte præternaturalium quoque censu ferè esse causam, quæ, uti antecedenter ac mediatè infert somnum, per hunc eundem sanguinem non præstet idem, qualitatis id fiat seu quantitatis ratione. Si enim ad quantitatem spectes, suò ille & inductò per consequens spirituum defectu, sin efficiens dicta adpositè

stè minùs ac positiva , saltem deficiens privativaque somni existit causa. Quod si verò etiam ad qualitatem attendas sanguinis, siquidem vel ob visciditatem, lentorem vel torporem tardiosemque æquò motum ac alias quascunque anomalias spiritibus jamjam defecturis deque statione sua cessuris succurrendo non est, sed suâ demum crassitie &c. cerebri opplet potiùs obstruitque & gravat tubulos, proximum utique est, id succedat, in quo sitam esse somni rationem superiùs statuimus, nec aliter corporis cessare actiones, ac deficiente vel flamine vel flumine molarum subsistunt rotæ. Rem probant, quæ in eam ubique prostant exempla; Quisquis enim tali sanguinis sui præditus est, vel, ut veriùs dicam, præpeditus indole, suâ ille sponte, quin impetu quoque in somnum ruat feraturque ad ipsas usque præternaturales somni species, necessum penitus est. Hanc ipsam autem sanguinis viscositatem præter alia produnt ob commixtum denuo chylum initus statim post partum somnus, juvenia & nocentia aliaque, quæ sequens causarum affatim dabit series.

§. XLIII. Quod verò de solidis insuper machinæ partibus dicendum jam foret, vel ideò heic non appono, quòd ex superioribus clarere idem suppono.

§. XLIV. Ob eandem illam dictam temperiem variamque humorum vasorumque dispositionem, ex sexu etiam, qui sequior est, ad somnum vel inclinare vel conferre magis, quàm, qui melior, pronuncio.

§. XLV. Prout & ætatis quoque ratione pueri, ac, qui bis pueri sunt, Senes etiam & longiùs dormiunt & altiùs, quàm, qui mediæ sunt & consistentis per corporis vigorem ætatis.

§. XLVI. Ex quo cuique-etiam-uni determinatam somni quantitatem ad indolis proportionem suæ admetiendam esse, rectè, puto, censeo.

§. XLVII. Deinde, quantum Regionum modò diversitas addat negotio pondus, excutio, atque non pœnitendis, uti quidem spes est, observationibus elucido.

§. XLVIII. Quarum non possum, quin unam saltem tantùm in Lectoris adferam gratiam; Nempe, quòd Angli, Batavi ac quodlibet Germanæ Gentis genus cum ob albedinem tum ob pinguedinem præ Gallis, ut quos foetere etiam ac nescio quid virosi spirare dicunt, ab homivoris multò, ut delicatissima fercula, expetantur magis. Levissimi enim illi Galli, ceu sub curru plùs propinquo positi Soli ac præ libidinis exitio, quò vix ossibus hærent læpe, quàm septem-subjecti-trioni pinguescunt minùs, non secus ac plantæ per diem marcent, cum Sol verò Oceano subest, rore in tus quasi sanguine turgent. Quapropter longior etiam ac multus magis il-

lis præ his debetur somnus. Nam, qui pigris positi campis sunt, & ubi arbor æstivâ parcâ recreatur aurâ quin mundi latus nebulæ malusque juppiter urgent, ob sanguinis dictam modò visciditatem gravitatemque ac tardiorrem adeò ejusdem motum, somnò non tantùm indigent inhiantque; verùm ad ipsam quoque usque apoplexiam (cui illi etiam quàm hi obnoxii potiùs sunt) eòdem & infestantur & gravantur oppidò, deque cætero agilitate Gallis longè cedunt nomine levibus & omine, æquè ac vesica aquâ plena gravior quidem, sed mobilior tamen minùs est, quàm, quæ ventò target intus, cùm licet vel unica fortè in vaporem ventumque resoluta gutta eidem insufflando sit, atque ita quasi panis non benè fermentatus ponderis magis quàm extensionis excedat quantitate. Eandem hancce Regionum diversitatem iste quoque innuit versiculus, quò Bæötum in Patria crassoque sub aère nati dicuntur, qui & tardioris & stupidioris hebetiorisque præ aliis sunt ingenii.

§. XLIX. Posthæc & vitæ etiam genus & consuetudinem ac quæ-modòcunque eòdem spectant & ad somnum conferre symbola possunt, quin & somni insuper perquiro tempus, simulque, quid de somno quoque censendum meridiano sit, (utpote, qui improbatur quibusdam, nec id quidem me iudice absque omni prorsus ratione, eò, quòd non aëris solum aliæ per diem noctemque sunt, sed & transpirationis mutatæ vices) fusiùs prosequor, nocti vel idèd præ die ad somnum ineundum concessurus palmam, quòd præter alias suas ad eam rem prærogativas ac quasi testamentò legatas à natura vires ob obductam & oculis & objectis caliginem Cimmeriasque tenebras, tum communem quoque ac altam silentemque planè & mutam omnium viventium quietem minùs afficiuntur hominum, qui secus mutantur, sensus; quod, quàm commodum sit aptumque, ipsi arguunt Phrenetici aliique, de quibus ob similem capitis adfectum vera Germanorum Paræmia est: *dass sie nämlich auch die Fliege an der Wand irret*; ad quas eorum adeò evitandum offensas, quas natura negat, arte conciliamus mentimurque tenebras. Ex hac eadem noctis ratione fortasse etiam ac conditione est, quòd hyeme quàm æstate dormiamus magis.

§. L. Prætercà, non omni planè indignum iudico notà, quòd, etiam si vel maximè dicatum somno noctis tempus sit, ipse tamen sibi scitè simul exactèque determinet suum tempus somnus, nec aliter ac fames sitisque, quin ipsorum etiam morborum accessiones seu paroxysmi, servet tempora gratâ vigilarum somnique vice, adque exactissimi instar horologii ad idem revertatur eòdem momentò punctòque punctum.

§. LI. De cætero verò pro somno capiundo nec gratum esse reor nec

acceptum magis, quàm ipsum Floræ tempus; scilicet, omnia quum rident, quum formosissimus annus, liliaque plenis Nymphæ ferunt calathis. Tunc enim ac præcipuè tum quidem, quod Nostrates in *der Rosen/ oder Bohnen-* bluet nuncupant, nescio quæ grata visciditas, quis almus odor dulci voluptate nos inebriat sensibus molliter ligatis omnibus; Ut non insulsi Poëtæ sint, qui ibi potissimùm, ubi sylvæ esset frequentissimis procerisque arboribus (quæ fecunda papavera sunt ac altissimæ mandragoræ aliæque herbæ somniferæ) affatim consita, somni condidère civitatem, unà cum aliis ad somnum mediis de commodo quoque eidem prospecturi loco, velut ex ulteriori ejus rei enucleatione constabit suò tempore clariùs.

§. LII. Nam, ut quædam saltem de loci addamus adfectione, alterum alterò esse captando somno commodum quin incitativum magis, vel ipsi, miserum! loquentur pro me imò & querentur, qui concionem non ad populum, sed ad subsellia demum templi atque id quidem post pastum ac æstate maximè sæpe habent sæpiùs. Dein, in obscuro, umbroso ac frigido udoque magis obdormiscimus citiùsque, quàm in aprico & luminoso adque Lunæ radios præsertim loco, ut cui indormiisse noxium; quamvis sub quibusdam arboribus, quales v. g. Santali arbor Larixque Americana & aliæ graves virososque halitus spirantes arbores sunt, adhuc noxium magis; quandoquidem, qui sub earum altera in somnum incidunt, deliri tantùm non fiunt ac fatui planè, sub altera verò & febres incurrunt, &, si veri partem tenet narratio, cum malacia picaque ipsum etiam contrahunt bulimum. Sic & ex Maronis quoque asfero juniperi in specie aliaque omnis gravis est & hominibus (iisque cantantibus) & frugibus nocens umbra. Cujus autem ratio rei, uti cum genuinis omnium causis heic quidem adferri commodè nequit; ita quærenti tamen interim nullò eadem abs me denegabitur per discursum modò.

§. LIII. Visis itaque iis, quæ pro loci conferre ratione visâ quicquàm sunt, corporis simul inter dormiendum situi in causarum somni ordine suum adsigno locum. Si enim, dum dormitur, sedetur; tum per prandium imprimis distentò ac cœnam ventre & præcordia angustari & diaphragmatis ac musculorum abdominis sufflaminari suspendique respirationis opus necessum utique est. Quò factò, nec tanta quoque aëris, quanta ad sanguinis potest sufficere accensionem, inspiratur copia; unde nec debitus etiam ejus in circulum itus & spirituum per consequens defectus, ad quem pressò tandem pede somnus. Quòd si autem stratò fiat vel supinò reclinatòque corpore somnus, ex parallela primùm cordis cum horizonte linea crassus æquè ac subtilis sursum deorsum & indifferenter fertur sanguis, atque ita spiritibus generandis idoneus minùs, cerebri obstruit potiùs quàm inflat tubulos,

bulos, uti id à meridiano, præsertim ac post partum inito statim somno deduci melius potest. Præterea cerebri etiam insuper structura aut saltem mutatur situs; id quod aliàs & capitis reclinatus in terram vertex ex quo eo oriundæ spirituum comprobant turbæ suffusique rubore oculi. Dehinc tota quoque ac antica ejusdem cerebri moles cerebellum posticamque partem arctius justò ac sensoria id loci latitantia premit, ut non blandus saltem & naturalis, sed & gravis exinde sequatur somnus ac trucia quandoque & molesta perquam somnia, velut Ephialtes maximè ac nocturnæ vestis ventrisque commaculatio supini, quin & anxietates, jactationes, pavores terroresque panici, spasmi ipsæque epilepsiæ, ac in quibusdam involuntariæ insuper quoque fœcum & urinæ nimium testantur excretiones; quæ nihilò tamen fecius mutato corporis situ ferè cessant ad unum omnia. Quare & in dorso vel sinistro etiam jacere latere ac brachiis supra caput protensis pronòque nimis oppetere somnum capite unà cum alio omni non incondito minus quàm incommodo hæcque ac similia mala inducente decubitu ferriò & improbo & prohibeo. Huic accedit, quòd alius longè ætheris est per stratum, quàm erectum corpus transitus inque illud effectus, eò quòd, ut terræ horizontique propior, ita & crassior idem est; Prout, sicuti 49. jam habet §. & nocturnus quoque aliter oppidò & movet & movetur, quàm diurnus aër; ut quod non causata solùm somni innuit ratio, sed & hectici etiam aliique, tum verò ac illi præcipuè quidem, qui ob nimiam & exercitam malè in malæ Veneris castris militiam Gallicis perfruuntur stipendiis, adprimè lugent fatis.

§. LIV. Denique in ipsum quoque somni tabernaculum penetro, ejusque & adjumenta perlustro & ad blandam quietem momenta; Quantum enim lecti valeat in oppetendo somno cubiculique conditio, nimis jam, quàm ut heic repetam, familiare est & quotidianum.

§. LV. Quapropter datis etiam omnium æquè largis fatis & sufficientibus quoque fortè rationibus, illisque, quæ circa naturales somni causas notam merentur unquam, probè eòdem suò locò ritèque perspectis, ad nonnaturales, seu, ut vocitant, procatarcticas ejusdem causas descendo, parique ratione in earum procedo scrutinio.

§. LVI. In quarum censu, uti, quemadmodum semper solet, primus præstò aër est; ita ejus quoque præ aliis noto ad somnum symbola, duasque imprimis, quibus efficax est, adfectiones; nempe, quatenus vel rarefacit nimium ac extenuat calore suò vel motu sanguinem spiritusque dissipat, aut uvidus nimis vel uliginosus eosdem suffocat inviscatque vel implicat, aut non irruens solùm denique, sed & premens membra porosque

constringit, & glacie quasi obducit Microcosmi rivulos purò numine Jupiter; unde mutata suos requiescant flumina cursus, adeòque in somnum non pronus tantùm sed & præceps homo sit, quin ipsa quandoque ac gelida sequatur ex gelida causa mors, penitus est necesse; uti ea de re multa multis observantur exempla, ipseque Primatem quendam adnotavi vel in sola solùm marmorea scribere assiduò solitum mensa ex immisso in carpum frigore & asphyxiam incurrisse & leipothymiam; imò & teneras nimiùm delicatasque puellas novi, quæ ad manuum demum ex frigida lavacrum animi protenus passæ deliquium sunt. Tum verò, quæ secunda aëris affectio est, quatenus (1) vel strenuè nimis ac turbidè impetuque motus aures obtundit planè offenditque ac spiritus inquietat vel delassat etiam, nimiùm quasi loquax; velut quòcunque ingenti vel molarum vel tormentorum ac machinarum aliòque omni inconditò & obstrepente semper fieri videmus strepitu, præsertim verò in Catarrhactis ac maximè quidem ad montes Lunæ locis ob id Catadupa dictis; utpote, ubi, dum Ægyptius ille Nilus horrendùm datur per ea loca præceps, non dormiunt solùm faciliùs, verùm surdescunt quoque obaquarum fragorem homines. Vel etiam (2.), quatenus blandè admodum ac leniter & venientis tanquàm sibilus austri ambit lambitque ac mirà prorsus ferit titillatione idem aër aures, adeòque & ligat molliter & effascinat inescatque ac sopit, ceu Argi oculos, spiritus, ut vel incantationis inde peti origo possit. Atque etiam certè, quid gratiùs, quàm blanda lene sonantis aquæ aërisque murmura? Imò, quid acceptiùs, quàm si torridâ æstate Juppiter ipse lætò descendit plurimus imbri, ac sæpe levi somnum suadet inire susurrò? Ad cujus quoque fortè imitationem rei inventæ illæ sunt, quas ingentia ostentant Principum Palatia Magnatumque Paradisi quasi in terris cœli, Cascades dictæ machinæ. Sed nec, quæ eòdem aëris agit mediò, de cœli etiam deliciis ac Angelis veneranda Musicæ arte dicendi quicquàm prorsus omitto occasionem; quippe, cujus tantum æquè est apud omnes desiderium tantaque præ aliis ad somnum vis, ut nec percussa juvent fluctu tam littora, nec, quæ saxosas inter decurrunt flumina valles; quinimò, cujus ita fasciamur demulcemurque dulcedine, ut corporis oblita in seipsam sese velut recipiat anima corpori in quietem dato longùm dictura vale. Quos eosdem aliosque miros ejus ac divinos planè effectus causandique cum reliquis & movendi rationem ob imperatum jam Laconismum ac thesiolâ nec prædicare dignè nec demonstrare ausus, alibi fusiùs persequor, quantumque ex abditis ejusdem adytis concessum mihi est, peculiari forsan tractatulò delibo, atque ita heic tantùm refero, ex gratæ nempe cujusdam rei vel auditu vel tactu & vel sapore
odore.

odoreque hâc quoque nos esse in somnum protenus proclives causâ, quòd, cum voluptatis istius dulcedinem exprimere aliter nec verbis potes, eandem per somnum demum (uti anima pia sua desideria per ima imi pectoris suspiria) eamus significatum, eòdem ipsò summam, qualis somnus est, aut saltem denique refert, *αὐτορρητικῶς* testaturi.

§. LVII. De cibo autem & potu multa nunc dixisse eò supersedeo lubentiùs, quò in sat aprico jamtum eorum res est, ac, quid ad somnum conferant, sola sæpe loquatur ebrietas, ceu quædam quasi apoplexia & spirituum vel actionum animalium syncope nervorumque paralyfis. Tum ad paltum quoque necessum est tantò faciliùs sequi citiùsque somnum, quantò ipsi etiam apoplectici benè lautèque nimis pasti deprehensi mille exemplis sunt, ut quod uberior hujus ejusdem ac plenior rei tractatio satis dabit superque.

§. LVIII. Quantum verò etiam ad motum & quietem adinet, hæc solum de iisdem heic adnotâsse juvat; scilicet, quòd, uti hujus ratione, per vitam præsertim sedentariam otiosamque (unde spiritibus inducitur torpor membrisque segnities, non secus ac stagnantes faciliùs lentorem contrahunt & scetorem aquæ) in defectu peccatur sæpissimè, adedòque ob sui ad somnum compositionem ipsa quietis causa quies fit, sic è contra excedatur illic spiritus & dissipando & consumendo viresque deperdendo; cujus proinde rei effectus in artubus lassitudo, in capite somnus est. Cæterùm autem idem ille motus aliò quoque ac duplici nomine somni existit causa; alteròquidem, quatenus cerebrum ille quatit, idemque concutiendo comprimit, velut infantes per cunas & Indiæ quidam populi per stragula sua de arboribus suspensa, nec non, qui curru aliàs navique vehuntur, sopiri adsolent, quin &, quod præternaturale est, qui quamcunque vehementum cerebri pressionem passi in carum protenus, lethargum ac ipsam etiam apoplexiam incidunt; id quod vel soli comprobant laniones, quippe unicò sæpe solum sed fortiter impactò in caput ictu repentinâ prosternentes taurum strage, non impari ferè ratione, quâ & plagosi in scholis Orbilii magnâ quidem, sed & malâ satis ac præposterâ doctrinæ suæ emphasi suos sustibus excipiunt pugnisque discipulos, atque ita non segnes tantùm ac torpidos, sed & stupidos eosdem reddunt, imò, quod ipse vidi, caroticos quoque. Alter verò, quò per motum somnus fit, hic pene modus est, quum vel in se vel in objectis confusè moventur vel iisdem objectis planè privantur sensuum organa. Quò postremò casu, uti, dum nec moventur nec mutantur sensus, via ad somnum facilis; ita in illis aliis eò quasi coacta magis est, quò spiritus per cunarum istum currûsque & navis irregularem motum velut per ebrietatem ac vertiginem turbidè

turbidè moti inque gyrum acti rotatique vel penitus dissipantur vel non rectè determinantur adedòque mandatò munere fungi impotes sunt, quemadmodum & nausea & vomitus sat abundè arguunt.

§. LIX. Motum & quietem ipse somnus excipit & vigilia, tum excreta etiam retentaque communiter ita dicta. Quum autem vel per se jam eorum patet claretque res, vel, si quam merentur notulam, suò maximè locò à me fiet ac tempore; idèd

§. LX. ab his, quem causarum investigatio servat, ad animi *παρασκευα* transeo ordine. Circa quæ tamen nec curiosus æquè sum nec sollicitus magis; siquidem, quem heic ludant ludum, nisi qui Stoici fuerint, nòrunt omnes; juxta hæc enim vel vigiles ducit vel per altum soporem noctes idem homo; unde & vigiles dicuntur curæ, prout è contrario, quod itidem in proverbio est, ægrum animum somnus facilè opprimit. Nam requiem exoptat anima, quam in somno & quærit & invenit magnò miseris mortalibus solamine.

§. LXI. Postremò verò & arte insuper & medicamentis induci posse juvarique somnum, præter alia benè multa, quæ ipsa olim mea dabit curationis ratio, per execranda noctivagorum furum artificia diraque latronum ellychnia, quinet sagarum quoque confirmo ollas. Malè enim feriatos quosdam ac Magistrâ Medeâ dignos homines, miris, &, ut ipsi perhibent putantque vel credi saltem volunt, diabolicis artibus quosvis vel somnos vel somnia inducere aliaque id genus innumera causari posse comperitum est; quæ, licet oppidò naturalia sint, super-tamen-naturalia esse eadem jovem juraret lapidem vulgus, quàm verò verè, somniorum suppeditabit historia.

§. LXII. His ergo unà cum reliquis ejusdem ordinis somni causis suò locò ac tempore discussis perspectisque, in præter-quoque-naturales somni causas, in quantum scilicet ex quovis ferè præter naturam adfectu & vel arteriarum vel venarum nervorumque ac cerebri læsione, vel ipsa insuper cerebri (qualem in itinere meo observare casum contigit) absentia & debet sequi & potest somnus, inquirò.

§. LXIII. Quò pariter exactò, ad somni me differentias converto, easque, dum non præter naturam minùs, quàm secundùm naturam ex dictis hæctenus ipsæ per se fluunt omnes, ac cognitâ verâ & genuinâ somni causâ ex extremorum alterutro & pervigilium & cum lethargo carus ac utrumque coma, paralysis, apoplexia aliæque denique actionum animalium læsiones, ut præternaturales nec nisi gradu à se invicem differentes somni, optimâ procedunt serie suâque sequuntur sponte, nullò propemodum negotiò deduco,

duco, juxtimque, num & supernaturales somni sint, quales ecstases quædam altusque Adami sopor uti & septem dormientium somnus esse fortè possint, disquiro.

§. LXIV. Et postquàm omnia illa phænomena, quæ ad somni naturam totamque ejus indolem pertinere ullà ratione putata sunt, liberiori stylò profecutus fui, quicquàm insuper de ejusdem vel conciliatione adjicio vel curatione. Quâ siuul occasione non obscurè insinuo, quòd in ejusmodi adfectibus, quos difficilis esse ac suspectæ (uti me quidem judice plurimi sunt) curationis, non Hippocrates tantùm, sed & ipsa comprobata experientia, onerosi ægris magnò medicamentorum adparatu simus quàm operosi magis, & officiosi, cùm officiosi maximè. Ea enim (quod prætereà addere sed pace tamen aliorum libet) non tam morborum quàm hominum in uniuersum indoles est, ut, etiã si per morbum adprimè possint, per impressionis nihilominùs tenacitatem suæ ac vel in Medicum vel medicamina diffidentiam ne quidem sit sibi cura mederi, quin curari nolint penitus. Ut adeò futuram quàm Medicorum longè præstet conditio. Neque id quidem etiam mirum; quum vel medicamenta quoque morbis sæpe non sint adæquata sæpiùs, i. e. Spirituales, quales impressionum, imò quamplurimi morbi sunt, corporeis curari mediis inanis quædam sit præsumptio; Non omnis enim has audit currus habenas; & nisi ad fiduciam magis præparetur, quàm ad medicamenta, æger, quid obtinere possis vel sperare, unò verbò dixerim, si nihil dixerim. Fides namque ut saluum, sic & sanum facit & animæ & corporis laborantem morbò.

§. LXV. Quò forsan paradoxò somni historiam abrumpo, hancque nostram machinam somnò sepultam inque suis suspensam motibus & quòvis modò sufflaminatam relinquo, Morpheique imperio trado, ad id, quod propriè per somnum accidit, somnium nempe, propriùs paulò accessurus, atque & indolem ejus & genera causasque, tum affectus etiam & effectus, quotquot sunt, in genere omnes, tam præter-ac super-quàm secundumquoque-naturam, luculentius, quàm quidem per disputationis licebat formam, proximè daturus, quidvè de somniorum præfagiis atque id genus aliis censendum mihi credendumque sit, aut liquidò, ut spes est, declaraturus, aut, si non omnia possumus omnes, hæc mea sacratâ pendebit chartula pinu.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 15 horizontal lines.

